

et fulgoribus longe diversis, quæ eius faciem non totam faceret similarem, sed varietatibus plurimis dissimilarem. Quæ res eadem fecit, ut suum secundum ætherem, in quo non nisi sex sydera, conspiciebat, a primo illo distingueret. Sicuti tertium a secundo, quia in hoc sex, in illo unum tantum sidus, idque ab aliis omnibus opacitate, nitoreque potius quam splendore longe diversum. Ratio namque, ex tali sensu eruta, persuadere videtur, uti quæ partis unius natura ferret, alia non ferret, ex essentia diversa, diversitatem ferret effectum. Non aliter ac terra, quæ ferat alia quam aqua. Et hæc alia quam ær, testimonio est, tria hæc corpora differentium esse substantiarum. Esto hæc fuerit, satis ut videtur, valida Zoroastri ratio. At non minus valida, hæc est alia, confinia terræ, et aquæ, et æris, sunt satis diversitate, densitatis et raritatis evidencia. Inter æthes confinia duo; interque primum Empyreum nullla apparent. At forte respondeat ipse. Ær a Peripato, a Stoicis, in tres regiones, eadem analogia est dispertitus. Quoniam infima, pruinæ, et rores generat. Media res ab his diversas, nubes, pluvias, similiaque. Supera vero, ignes et cometas gignit. Atque ita, non essentia, sed effectibus in oris genitis esse differentes. Neque ob id confiniis, aut suismet, aut alterius naturæ inter eas interpositos, disterminantur. Sed unum est corpus, totus ær, continuatum, nullis aut suis, aut alienis terminis interruptum. Ita esse de æthere, totum, unicum esse corpus, nullis aut cognatis, aut alienis interstitiis dispertitum, sed regionibus tantum, supera, media, inferaque, et stellarum tum numero, tum fulgoribus, tum etiam motibus, cogitatione tantum nostra, non natura sua esse divisum. Sed reclamabunt hic Astronomi omnes, et omnes insimul philosophi. Cœlum quidem unius, simplicisque esse naturæ, sed esse in eiusdem naturæ orbes plures, ac forte plurimos distinctum. Quibus haud procul hinc occurremus, si prius discusserimus, utrum æther, seu cœlum, corpus simplex sit; an compositum. Simplex esse dixere omnes, eo quod esset incorruptibile. An vero compositum esset, fatigavit neminem. Nos vero ita dicimus. Si cœlum corpus simplex est, vel totum simplex est, vel partibus plerisque vel partibus multis, vel una. Si una tantum simplex sit, simplex dici absolute, minime poterit. Tantumdem erit, si vel multis, vel pluribus dicatur esse simplex. Utrum igitur totum simplex revera dici potest? Si cœlum simplex sit una tantum res quoque est. Si una res est, si-milaris tota sibi est. Si similaris tota sibi est, unam tantum ostendit faciem, et dissimilaris nequaquam est, at cœlum unam ostentare faciem non videtur, tot stellarum varietate distinctum. Non est ergo similare. Non est ergo res una. Non est ergo res simplex. Si simplex non est, compositum est ex pluribus, tot nimirum, quot in eo facies apparent. Aut etiam pluribus, quæ præ distantia a nobis nimia non apparent. Ruit ergo hic tota prisorum philosophia de cœli simplicitate. Cœlum igitur, compositum corpus est. Quam compositionem. Orpheus indicavit quando, Aplanem terram appellavit, Saturnum aquam; Iovem, ærem. Martem ignem, et viceversa Solem nuncupavit ignem, Venerem, dixit ærem. Mercurium aquam. Et Lunam iterum terram. Sed hæc poetico forte, ac mystico sensu aliquo; aut ob stellarum quemdam præcipue similem colorem. Sed stellæ nondum constat, an cœli partes sint essentiales. An corpora diversæ a cœlo naturæ, in cœlo habitantia. Quam rem sequens disputatio expendet. Modo de coelesti corpore toto, contemplatio est instituta. De quo Platonicorum pars nobilior, Iamblichus, Syrianus, Proclus aiunt, elementalium qualitatum, summitates, cœlo inesse purissimas. Igneum tamen a prædominio esse cœlum. Plotinus vero, non esse aliud, quam ignem. Hic Chaldæos, illi Orpheum, ni fallimur, secuti Aristoteles elementorum qualitates et essentias omnes cœlo ademit. Non alia de causa, quam quod, incorruptibile esset, et toto, et partibus, et in circulum moveretur. Elementa vero, moverentur in rectum et partibus saltem esse corruptibilia. Sed utroque fundamento est falsus. Demonstratum enim iam nobis est, si partibus elementa corrumpuntur, etiam toto corrumpi. Non moveri autem in rectum, nisi sine præter naturam disposita, suis locis demonstrabitur. Sed quantumvis suscepit laborem, quo qualitates Elementales de cœlo detraheret, frustra suscepit. Mollitem namque et duritiem non solum ei reliquit, sed etiam labore alio non minore, construxit. Hoc ipsum demonstremus. Tactu quidem, qui molliciei, et